



Disputatio medica inauguralis de lienteria

<https://hdl.handle.net/1874/347255>

42.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE

LIENTERIA,

QUAM,

DIVINO FAVENTE NUMINE,

Ex auctoritate Magnifici D. Rectoris,

D. HERMANNI van HALEN,

S.S. Theologiæ Doctoris, ejusdemque Facultatis in inclytâ Academia

Ultrajectina Professoris Ordinarii, Verbique Divini ibidem in

Ecclesia Præconis,

N E C N O N

*Amplissimi Senatus Academicorum consensu, Nobilissimeque
Facultatis MEDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis
ritè & legitimè consequendis,

Eruditorum examini submittit

CORNELIUS VAN ANRAE, Amstel.

Ad diem 7. Decembris, hora locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiæ
Typographi, clc Icc Lxxxix.

*Viris Probitate & æquitate
conspicuis,*

D. ANDRÆÆ CREAGH,

D. MICHAËLI van DALEM,

Mercatoribus vigilantissimis , Tutoribus
meis fidelissimis , parentum loco in æter-
num venerandis ,

*Theses hasce Inaugurales , in perpetua
gratitudinis testimonium ,*

Offert & inscribit

CORNELIUS van ANRAE

Auctor.



DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

D E

LIENTERIA.

THESIS I.



Nter omnes actiones naturales humanae vitæ maximè necessarias, non infimum sibi locum obtinere videtur debita alimentorum in ventriculo fermentatio, utpote quâ nullus homo carere nequit, & abolita maxima corpori nostro adfert incommoda, inter quæ haud minimus est ille affectus, quæ LIENTERIA dicitur; de qua idcirco quædam in hac Disputatione Inaugurali differere animus est.

I I.

Ut autem clarius nobis appareat hic affectus, primum ab ipso nomine inchoandum est, quem Græcis Lienteriam, Latinis

A 2

4 DISPUTATIO MEDICA

tinis verò *Lavitatem Intestinorum* dicere placuit; *In qua alimenta, prout in ore sunt masticata, & per oesophagum in ventriculum delata, minimeque fermentata, sed plane cruda, per anum denudè excernuntur.* Quia in re à cæliaca affectione differt; in quâ alimenta prout in ventriculo sunt fermentata, ac in intestinum delata, non tamen à fæcibus ibidem secreta, per anum redduntur.

III.

Hicce de origine nominis præmissis, ad ipsam Definitionem accedere cupimus. *Lienteria* itaque est illa species alvi fluxus, in qua alimenta, prout in ore sunt masticata, & in ventriculum degustata, non autem in chylum conversa, sed cruda plane, per aluum excernuntur.

IV.

Quemadmodum verò juxta illud M. Tullii, caput bonorum conciliorum est rem publicam cognoscere, sic initium seu fundamentum optimum prudentis Medici in omni morbo debet esse, perfecta partis affectæ cognitio. Hanc verò in prædicto morbo, ventriculus & intestina constituunt, cum Galenus 6. de locis affect. cap. 2. *Lienteriam, & Celiacam Affectionem tum ventriculi, tum intestinalium virtus fieri scribit.*

V.

Parte affectæ cognitæ, causas tam proximas, quam remotas inquirere necesse est, nam ut Celsus ait: *non credunt posse eum scire, quomodo morbos curare convenit, qui unde hi sint ignoret.* Cum verò difficile foret, omnes causas assignare, hinc saltem præcipua notare intendimus; quæ ad quatuor capita referri possunt. Viz. 1. ad abolitam alimentorum in ventri-

I N A U G U R A L I S. 5.

ventriculo, & intestinis fermentationem. 2. ad insignem relaxationem, & emollitionem fibrarum ventriculi, & intestinorum. 3. Ex assumptorum causâ morbus hic quandoque accidit; puta ab esu nimio fructuum horariorum, prunorum, uvarum, & similium, præcipue non satis maturorum. 4. Denique, ut recte Riverius lib. x. cap. 4. summa facultatis retentricis imbecillitas in gravibus, & lethalibus morbis saepe Lienteriam efficit, ut videre est frequentius in Dysenteria, quæ, naturâ succumbente, in Lienteriam degenerat, ventriculo in consensum intestinorum graviter affectorum pertracto, ejusque tono omnino dejecto, quod affirmat Hipp. Aphor. 76. Sect. VII.

V I.

Causis enarratis, Signa Diagnostica investiganda occurunt, ex quibus morbum cognoscere, ac à reliquis alvi fluxibus distinguere valeamus. Suntque ea, celer alimenti crudi, hoc est, nihil ab assumptorum consistentia, colore, odore immutati, per annum excretio. Insignis nutritionis lœsio, ex abolita alimentorum in ventriculo fermentatione. Omnia virium magna prostratio, ex impedita debita spirituum generatione. Debilitas & pallor totius corporis, ex spirituum, motui partium inservientium, dissipatione, & non de novo accedentium requisita restauratione; murmura, ac dolor in hypochondriis; quibus signis facilè dignoscitur, ac distinguitur à Diarrhœa, in qua frequens, & copiosa humorum vitiosorum, ac præcipue biliosorum, cum magnis torminibus per annum excretio observatur. A Dysenteria vero, quæ est fluxus fluentus, & dolorificus cum sanguine, comite alijs, uti & ulceræ intestinorum.

6 DISPUTATIO MEDICA

VII.

Demonstratis hujus affectus Signis Diagnosticis, ad Prognostica nunc accessuri sumus. Itaque huic affectui, cum universo corpori subtrahat nutrimentum, quamprimum occurrendum est; nam *omne malem nascens facile opprimitur, inveteratum & neglectum verò plerunque in pejus evadit*. Nisi enim tempestivè curetur, metus est, ne in Atrophiam, vel Cachexiam, vel alium similem gravem affectum degeneret. Si vero hunc aliquamdiu perseverantem ructus acidus subsequatur, Lienteriam solvi significat, juxta Aphor. i. Sect. vi. ubi dicit Hipp. *in diurnis intestinorum levitatibus ructus acidus superveniens, qui prius non fuit, signum bonum*. Inde enim intelligimus, naturam & fermentationem abolitas, & labefactas ad statum pristinum rursus converti, & calorem, & vim coquendi quasi extinctam rursus excitari.

VIII.

Perspectis hujus morbi circumstantiis, restat ut Curæ nos accingamus. Cum vero ex prædictis satis pateat ventriculum, & intestina hoc in affectu summopere esse debilitata, hinc jure meritoque judicamus à medicamentis purgantibus abstinendum fore, ne commoti ab his humores majori impetu in partem affectam ruant, ac ita magis debilitetur. Præterea cum observemus, homines magis hoc morbo affici autumno, & hyeme propter frigidorem, & inæqualem aëris constitutionem, ac viscerum horum majorem delibilitatem, juxta Aphoris. 22. Sect. 3. Hinc clare patet, vomitorium hoc in affectu nullum auxilium præstare posse, ut recte Hipp. Aphoris. xij. Sect. iv. ubi dicit: *quibus alvi sunt lienterice, eos hyeme sursum purgare malum est*. Cum vero hic affectus, ut plurimum oriatur à ventriculi debilitate, hoc in affectu adstringentia, corroborantia, & calefacientia egregiè prodesset possunt,

I N A U G U R A L I S . 7

possunt , ut ita debilitas hæc corrigatur , & ventriculi actio sensim restituatur , & hunc in finem primò præscribatur conditum. V. G.

R. Cort. Arantiorum conditorum

Zinziberis conditi

Cons. Ros. Rubr.

Mive Cydoniorum an. 3vj.

Speciei Diambrae 3i.

Ol. Cinamomi gut. ij.

M. F. S. A. Conditum.

De quo patiens bis , vel ter in die sumat particulam magnitudinis avellanæ. Vel ,

R. Rob. Acacia 3i. Cons. Rosar. Rubr. 3i.

Theriaces 3ij.

Speciei Diamargarite frigida 3i.

Ol. Cinamomi gut. ij.

Syr. Mentha Q. S. Fiat Conditum.

Ex quo bis , terve sumat in die particulam magnitudinis nucis moschatæ. Vel ita mutari potest. V. G.

R. Rad. Helenii Conditarum

Zinziberis Conditi

Cort. Arantiorum Conditorum

Cons. Absynthii Romani, Mentha an. 3vj.

Speciei Diambrae 3i.

Ol. Cinamomi Gut. iiij.

Syr. Mentha Q. S. F. Elettuarium.

De quo aliquoties in die sumat particulam magnitudinis avelanæ.

IX. Hoc

8 DISPUTATIO MEDICA

... illud est, ut patiens ad ventricum non
... non venientem. Secundum meum **I X.**

Hoc in affectu etiam admodum conducit ut Patiens mane, & vesperi sumat *particulam Nucis moschatae conditam*, vel *Zinziberis conditi*, & quandoquidem hic semper habenda sit ratio ventriculi non inutile erit, ut patiens in prandio & cena loco vini ordinarii sumat *haustum Vini Absynthitis*, vel loco ejus *gut. xxv Elixiris Proprietatis sine acido*, vel *Salis Volatilis Oleos. aromatici*, cum vino rubro adstringente, vel bibat *haustum Vini Escuritani*, atque panem biscoctum in hoc vino maceratum comedat.

X.

Hicse internis adjungere externa placet, quæ vi calefaciendi, atque corroborandi, & adstringendi pollut. Qua de causa inungatur regio ventriculi *Oleo Nucis moschatae expresso*, eique postea imponatur *Emplastrum ex solo Gummi Tacamahaca*. Vel tale, V.G.

re. Gummi Tacamahaca

Cerati stomachici an. 3ij.

Resina Pini. 3j.

Ol. Absynthii Siliatissii gut. vi.

*Fiat ex his Emplastrum in corio extendendum, & regio-
ni ventriculi imponendum.*

Vel loco hocum admoveatur hoc fomentum Riverii:

re. Rad. Bistortæ, Tormentilla

Cort. Ciuri Sicc. an. 3ij.

Fol. Menthae, Plantag. Absynthii

Pontici an. M. j.

Nucis Moschatae, Caryophyll. Cinamomi an. 3ij.

Ros.

I N A U G U R A L I S.

Ros. rubrar. P. iiiij. Contundantur, & incidentur ue
artis est, iisque impleantur duo sacculi interpuncti,
qui macerentur in aquis partibus aqua ferrata & vini
rubri adstringentis, & regione ventriculi calide per vices
applicentur.

X I.

Medicamentis expositis, tandem Diæta est præscribenda, quæ, licet morbos incurabiles auferre nequeat, eos saltem multò le-
viores, & tolerabiliores reddit, ad quod nos credendum in-
ducit Ludovicus Cornarus, Nobilis Venetus, cum ad 35
ætatis annum vitam insalubrem duxisset, licet multis remediis
frustra usus esset, variis morbis frequenter conflictatus: tan-
dem consilio cuiusdam Medici Sola Diæta morbos illos op-
pugnare cepit, cibi & potus quantitatem sensim imminuens,
in quo regimine perseverans, vitam incolumem, & à mor-
bis liberam, atquè vegetam ultra centesimum annum pro-
duxit. Cum igitur tantum præstet Diæta; laudatur cibus
boni succi, & facilis coctionis, ut sunt jucunda vitulina, ova
sorbilia. Vitentur cibi fumo indurati, & fructus horarii,
principiè immaturi. Sobrietatis semper habenda ratio: nam
ut Celsus ait, *nunquam utilis est nimia satietas*. Qua de causa
præstat frequens & modica, quam copiosa cibi assumptio.
Sintquæ cibi conditi aromatibus adstringentibus, & viscera
calefacientibus. Potus quantitas sit moderata; nam, ut Aëtius
scribit, *multus potus fluxionibus ventris infestissimus est*. Vi-
num si lubet bibere, sit rubrum adstringens, vel vinum
Hippocraticum. Atquæ Ægrotans reliquarum rerum nonna-
turalium mediocritati studeat: nam medicamentis ratio viven-
di addi debet, que multum admodum in omnibus malis corporis
proficit: ait enim P. Barbette, *exactissima dieta medicamentis præ-
stat, sine qua morbi sunt incurabiles*.

B

C O-



COROLLARIA.

I.

Omnis Febris est perturbata mixtura sanguinis.

II.

Datur cæliaca affectio.

III.

Etiam si alvus fluat, tamen purgare licet.

IV.

Vene non pulsant.

V.

Si Lienteria sit in intestinis tenuibus, semper assumptis per os curari oportet.

VI.

Nulla datur sensatio in dentibus.

VII.

Datur tantum triplex pulsus : scilicet magnus, & parvus ; celer & tardus ; æqualis , & inæqualis.

VIII.

Quantum temporis requiratur ad circulationem sanguinis peragendam determinari nequit.

IX.

Respiratio est actio mixta.

X. Nul-

X.

Nullibi purus reperitur chylus, nisi in lacteis primi generis.


X I.

*Ubi simul opus est purgatione, & venæsectione,
purgationi est venæsectio præmittenda.*

X I I.

*Sine ore vel quopiam illi anagolo homo vivere
nequit.*

F I N I S.



A D

Doctissimum Candidatum

D. CORNELIUM van ANRAE,

*Doctorali in Arte Medicâ Dignitate
condecorandum.*



Erbarum gaudete Dii : novus ecce
per artes
Surgit Apollineas, qui fugat ar-
te neces.

Qui fugat arte neces Medicinæ culmen adivit,
Cujus quam tutæ (comprobet Æger) opes.
In Laurum tibi DOCTORI quæ ferta ferenda,
Vere novo viridis suppeditabit humus.
Cuncta tibi quæ præstat opem medicabilis
herba ,
Illa tua exornet tempora fronde suâ.
Hoc præcor , ac ultra quò sit tibi prospera
praxis.
Curaque quò superum sit tua cura , vale.

G. L. van R H Y N,
Medicinæ Studiofus.